

XXVII

AD SODALES

Strophe Alcaica

Nātīs in ūsum laetitiae scyphīs
Pūgnāre Thrācum est : tollite barbarum
Mōrem, verēcundumque Bacchum
Sanguineīs prohibēte rīxīs.

Vīnō et lucernīs Mēdus acīnacēs
Immāne quantum discrepat ! Impium
Lēnīte clāmōrem, sodālēs,
Et cubitō remanēte pressō.

Vultis sevērī mē quoque sūmere
Partem Falernī ? Dīcat Opūntiae
Frāter Megillae, quō beātus
Vulnere, quā pereat sagittā.

Cessat voluntās ? Nōn aliā bibam
Mercēde. Quae tē cumque domat Venus,
Nōn ērubescendīs adūrit
Īgnibus ; ingenuōque semper

Amōre peccās. Quidquid habēs, age,
Dēpōne tūtīs auribus. – Hā !, miser,
Quantā labōrābās Charybdī,
Dīgne puer meliōre flammā !

Quae sāga, quis tē solvere Thessalīs
Magus venēnīs, quis poterit deus ?
Vix illigātum tē trifōrmī
Pēgasus expediet Chimaerā.